



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 32. Caroli III. Sabaudiaë Ducis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul XVI Rurſus igitur res ad certaminis neceſſi-
A. C. 1553 tatem pervenerat, infauſto tamen Hen-
 rici ſucceſſu, unde re infecta diſcedere,
 ac in patriam ſuam reverti, Menſeque
 Novembri jamjam ad medium vergente
 bellicæ huic expeditioni finem impo-
 nere cogebatur. Albertus die prima
 Decembris a Cæſareo Spirenſi Senatu
 tanquam publicæ quietis, atque Imperii
 hoſtis conſueto ritu proſcribatur, ejusque
 vita, ac bona omnium prædæ exponebantur.
 Is de ſententia in eum lata certior factus reclamabat, Episcopos
 inſimulans, quod Judices auro corrupiſſent:
 verum falſa ejus accuſatio haud quaquam
 obſtabat, quominus Senatus omnibus
 Imperii Provinciis ſententiæ executionem
 demandaret.

§. XXXII.

Caroli III. Sabaudicæ Ducis obitus.

Belcar.
comm. l. 26.
n. 26. Paul.
Jov. l. 33.
Thu. l. 2.

Vix unicus ab Electoris Mauriti obitu
 menſis effluxerat, cum Carolus III.
 cognomento *Bonus* Sabaudicæ Dux Phi-
 lippi, hujusque ſecundæ uxoris Clau-
 dinæ de Broſſia Filius decederet. Hic
 diu, ac operoſe ſceptrum rotabat,
 inimica tamen agitata fortuna; cum
 enim Franciſci I. Nepotis ſui, ac Ca-
 roli V. Soceri ſui diſſidia componere vel-
 let, eique ab alterutriusque ſtudio alie-
 num fovere animum haud concederetur,
 tam

tam ab hoc, quam illo in angustias redigebatur; præprimis enim Galli Anno Christi millesimo quingentesimo trigésimo sexto Taurinum deprædabantur, eorumque ministerio Barbarossa armis suis Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Niciam immani prorsus furore devastabat, indeque peracto Cherseolensi prælio circa Annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum quartum tota Pedemontii Provincia ingenti terrore concutiebat; cum ergo Dux totam suam regionem in belli aciem subito conversam cerneret, tanto mœrore afficiebatur, ut lenta tabe confectus Vercellis die decima sexta Augusti mortalitatem exueret, postquam transacto sexagesimo sexto ætatis anno quadragesimum nonum regiminis sui expleverat. Ceterum Princeps erat morum pietate, ac sapientiæ laude insignis, fautorque æquitatis, necnon literarum, atque Eruditorum Mœcenas; licet parum bellicosus, & potius publicis negotiis, quam armis pertractandis aptus esset. Susceperat ex uxore sua Beatrice Lusitani Regis Filia Philibertum Emanuelem, qui die octava Julii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigésimo octavo publicam lucem aspererat.

§. XXXIII.

Sæc. XVI.

A.C. 1553.